



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 42va-43ra  
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem XIX quaeritur primo utrum homo ante peccatum esset simpliciter impassibilis.

Videtur quod non, quia sentire est aliquo modo pati. Sed homo ante peccatum fuit sensibilis. Ergo non fuit impassibilis. Contra. Si fuisset passibilis, fuisset corruptibilis, quia passio magis facta abicit a substantia. Sed constat quod fuit incorruptibilis, ergo nec passibilis.

Ad evidentiam huius quaestionis dico duo. Primum est quod homo ante peccatum fuit omnino immortalis. Secundo ostenditur ex hoc quomodo passibilis vel impassibilis erat.

Circa primum sciendum quod aliquid potest dici incorruptibile tripliciter. Uno modo ex parte materiae eo quod non habet materiam, sicut angelus; vel si materiam habeat, habet eam totaliter satiatam, ut non sit in eo potentia ad formam aliam recipiendam, sicut corpus celeste. Et hoc modo non erat incorruptibile corpus primi hominis, cum esset compositum ex contrarijs in se mutuo agentibus. Alio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte formae, quia scilicet rei corruptibili secundum naturam inest aliqua dispositio formalis per quam totaliter a corruptione praeservatur. Et hoc modo corpus gloriosum dicitur incorruptibile, ut dicit beatus Augustinus in Epistula ad Dioscorum quod tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex eius beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, idest incorruptionis vigor. Tertio modo dicitur incorruptibile ex parte causae efficientis. Et hoc modo in statu innocentiae homo fuisset incorruptibilis et immortalis, quia ut dicit beatus Augustinus, De quaestionibus novi et veteri testamenti, Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccasset, in immortalitate vigeret, ut ipse sibi auctor esset aut ad mortem aut ad vitam. Non enim, ut dicit, erat corpus eius indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existente. Sed inerat animae vis quaedam sibi supernaturaliter data per quam corpus sic poterat ab omni corruptibilitate praeservare quamdiu ipsa Deo esset substantia. Et ideo erat quoddammodo immortalis in quantum poterat non mori. Verumptamen quia potentia moriendi non statim poterat reduci in actum nisi praecedente in mutatione ex parte animae per peccatum. Ideo homo simpliciter erat immortalis, sed secundum quid mortalis, scilicet si peccaret. Sic patet primum.

Ex quo statim apparet qualiter esset passibilis. Passio enim dupliciter sumitur. Uno modo proprie, ut est actionis effectus, secundum quam aliquis a sua naturali dispositione removetur, potest contraria inter se agentia unum aliquid amovet a sua naturali dispositione. Alio modo sumitur passio communiter, secundum quamcumque mutationem, etiam si ad perfectionem pertineat, potest intelligere et sentire, dicuntur quoddam pati. Et illo secundo modo primus homo fuit passibilis secundum corpus et animam. Primo autem modo passione dicta homo erat impassibilis et secundum corpus et secundum animam, sicut et immortalis poterat enim passionem prohibere sicut et mortem, si sine peccato mansisset. Et per hoc patet solo ad argumentum.

Queritur utrum anima humana secundum se sit corruptibilis. Videtur quod sic, quia quorum est unum esse unum, non potest corrumpi sine corruptione alterius, cum corruptio sit mutatio de esse in non esse. Sed formae et materiae est unum esse et ipsa est forma corporis. Ergo corpore corrupto necessario corrumpitur anima.

Contrarium patet per Philosophum, II De anima, ubi dicit quod reliquum genus, scilicet intellectus, separatur ab alijs sicut perpetuum a corruptibili.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 42va-43ra  
transcribed by Andrea Colli

Responsio. Dico quod anima humana non corrumpitur corpore corrupto, quod patet dupliciter.

Primo sic. Nulla res corrumpitur ex eo et quo consistit sua perfectio. Haec enim mutationes sunt contrariae ad perfectionem et corruptionem. Perfectio autem animae humanae consistit in abstractione quadam a corpore. Ergo per separationem eius a corpore non corrumpitur anima. Maior patet. Minor declaratur. Perfectio enim animae attenditur, scilicet scientiam et virtutem. Certum est autem quod secundum scientiam tanto amplius perficitur, quanto magis immaterialia et incorruptibilia considerat. Virtutis autem perfectio in hoc consistit, quod homo passiones corporis non sequitur, sed ab eis separatur et refugit eas, ut declarabitur in libro tertio. Cum ergo perfectio animae consistat in separatione eius a corpore et corruptibilibus, ipsa corruptio corpore non corrumpitur. Sed ista ratio primo aspectu non videtur valere. Quia verum est quod perfectio animae consistit in separatione eius a corpore secundum operationem. Corruptio autem eius est in separatione secundum esse. Sed ista obiectio parum videtur, quia cum operatio rei demonstret substantiam ut esse ipsius, quia unumquodque operatur scilicet quod est ens, /42vb/ oportet quod ipsa operatio rei sequatur propriam naturam rei. Ergo non potest perfici operatio rei, nisi eius substantia perficiatur. Si igitur anima secundum operationem perficitur in relinquendo corpus et corruptibilia, sua substantia non definiet per hoc quod a corpore separatur.

Secundo hoc idem ostenditur sic. Nulla forma corrumpitur nisi per actionem contrarii vel corruptione sui subiecti vel propter defectum suae causae: per actionem quidem contrarii, sicut calor destruitur per actionem frigidi; per corruptionem sui subiecti, sicut destructo oculo destruitur eius visus et virtus visiva propter defectum agentis sicut lumen in aere deficit deficiente solis praesentia quae erat eius causa. Sed anima non potest corrumpi actione contrarii, quia ei aliquid contrarium non est, cum per intellectum possibilem sit ipsa omnium contrariorum susceptiva. Nec per corruptionem sui subiecti, ostensum est enim supra quod anima humana est forma secundum esse, non dependens a corpore simpliciter. Nec propter defectum suae causae, quia causam habere non potest nisi eternam, cum a solo Deo solum modo creari potest, ut visum est. Ergo anima intellectiva nullo modo corrumpi potest corpore corrupto.

Ad argumentum dico quod non est sic de anima, sicut de aliis formis materialibus secundum Commentatorem. Anima enim, cum habeat esse absolutum ut operatio eius ostendit, non est per esse compositi; immo potius esse compositi est per esse ipsius. Et ideo corrupto corpore non corrumpitur anima per accidens, sicut formae quae non sunt nisi per esse compositi nec habent aliquam operationem nisi mediante corpore.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum in statu innocentiae pueri per generationem nati statim habuissent corporis perfectionem.

Responsio. Ista quaestio unum quaerit, ut patet, et duo supponit, scilicet si fuit in statu illo generatio. Secundo dato quod sit verum, utrum generatio per coytum fuerit ibi. Ideo sunt tria videnda: primo quod generatio fuerit ibi; secundo quod per coytum; tertio ostenditur quod mox nati non debuissent habere perfectionem corporalem, ex quo apparebit statim quarto quod non debuerint statim habere perfectam scientiam.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 42va-43ra  
transcribed by Andrea Colli

Quantum ad primum sciendum quod, cum peccatum non tollat naturam, oportet ea attribuere homini in statu innocentiae quaecumque ad perfectionem speciei pertinent. In omnibus autem generabilibus et corruptibilibus hoc est perfectionis specialiter, quod unumquodque potest alterum sibi simile producere, ut habetur IV *Metaphysicae* et II *De anima*. Et ideo in statu innocentiae oportet poni statum generationis naturalis. Advertendum autem cum homo secundum corpus sit corruptibilis et secundum animam incorruptibilis. Aliter fertur intentio naturae ad productionem corporis et aliter ad productionem animae. Cum enim intentio naturae sit solum ad id quod est semper et perpetuum, non autem ad id quod est quandoque et secundum tempus, quia aliter intentio naturae cessaret ipso corrupto. In rebus autem corruptibilibus nihil est perpetuum et semper manens nisi species. Ideo bonum speciei quo solum perpetuum est in corporibus est solum de intentione naturae ad cuius conservationem ordinatur generatio. Et ideo ipsa productio corporum non est de intentione naturae nisi ut per multitudinem eorum bonum speciei conservatur. Sed quia substantiae spirituales secundum se sunt perpetuae et incorruptibiles, ut dictum fuit supra, non solum secundum speciem, sed etiam secundum individua, ideo multiplicatio eorum per generationem secundum individua est de principali intentione generantis. Sicut igitur per generationem multiplicatur corpora corruptibilia ad conservationem speciei et etiam per eam multiplicatur animae, quae sunt incorruptibiles secundum se, generatio est intenta a natura. Et quia intentio naturae in statu illo non debuit frustrari, ideo debuit illi esse generatio.

Quantum ad secundum sciendum quod ibi debuit esse generatio per coytum. Quod patet sic. Ad quamlibet enim generationem oportet duo considerare, scilicet agens quod inducit formam et patiens quod offert materiam. Nec haec duo in unum reduci possunt, cum nihil moveatur vel patiatur a se ipso. In omnibus autem viventibus perfectis, in quibus est distinctio sexus, femina se habet ut patiens et materiam ministrans et mas ut agens et formam inducens, ut dicitur XII *De animalibus*. Et quia effectus non potest produci ex istis nisi per coytum, ideo generatio in statu illo fuisset per coytum. Advertendum tamen quod in coytum sunt duo consideranda: unum est coniunctio maris et feminae ad generandum et istud fuisset in statu illo, cum ordo naturae hoc exigat, ut ad generandum concurrant mas et femina. Aliud est deformitas concupiscentiae deordinate secundum quod in actu illo ratio obsorbetur. Et illa deformitas in statu /43ra/ illo non fuisset, quando vires inferiores omnino rationi subdebantur. Et hoc est quod optime dicit beatus Augustinus, IX *De civitate Dei*, ubi dicit sic: 'absit ut suspicemur prolem fieri cum libidinis morb. Sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra quo cetera, sine illecebrosi stimulo et ardore et cum tranquillitate animae et corporis'. Sic patet secundum.

Quantum ad tertium sciendum quod in vita hominis est quaedam circulatio, quia a defectu incipit et debilitate etiam ad statum debitae perfectionis veniens, iterum contra finem in defectum terminatur. Unde et principium hominis quidam defectus consequitur in pueritia et etiam finem in senectute. Homo autem ante peccatum etsi caruisset, termino vitae tamen habuisset principium vitae suae per generationem, ut dictum est. Et ideo omnibus defectibus, qui ordinantur ad terminum vitae, caruisset ut egritudinibus et talibus defectibus. Illos tamen defectus habuisset, qui vitae principium consequitur, ut dicit multipliciter in litteram, Quia inter tales defectus est imperfectio et teneritudo corporis. Ideo in Philosopho non fuissent pueri nati secundum corporis perfectionem, nec perfectum usum membrorum



University of Cologne  
Department of Philosophy  
Thomas Institute



*This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033*

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 42va-43ra  
transcribed by Andrea Colli

habuissent et ratio praecipue assignatur ex humiditate cerebri. Cum enim homo inter omnia alia habeat maius cerebrum secundum quantitatem sui corporis, naturale est pueris propter illam maximam humiditatem quod *illeg.* in pueris non sint apti ad motum membrorum.

Ex hoc statim apparet quod in principio perfectam scientiam non habuisset. Si enim propter humiditatem cerebri impediuntur pueri a motu membrorum, multo magis ab usu imaginante virtutis, cuius organum in anteriori potestate cerebri est. Habundantia enim humiditatis confusionem quamdam facti fantasmatum ut patet in ebriis propter multum vaporem ad cerebrum ascendentem. Modo sic se habent fantasmata ad intellectum sicut colores ad visum. Unde sicut ad confusionem color sequitur indeterminatio et confusio in actu virtutis visivae, ita ad confusionem fantasticum sequitur quaedam confusio in actu intellectus. Et inest quod pueri in principio cognitionem confusam habent quorum postea per temporis successionem distincte cognoscunt unumquodque, ut patet ex Philosopho, Physicorum.

TEACHPO